



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

582 GREGORIVS P.X. CONCILIVM RUDOLPHVS I. IMP.
PHILIPPVS III. R. FRANC.
tionem esse canonicam in hoc casu , si aliis rite ser-
uatis, eos , qui monentur , exprimat nominatim.
Statuimus quoque , vt inter monitiones , quas , vt
canonice promulgetur excommunicationis sen-
tentia , statuunt iura permitti iudices , ne monitio-
nibus tribus vtantur , siue vna pro omnibus , obser-
uent aliquorum dierum competentia interualla , nisi
facti necessitas ea suaserit aliter moderanda.

XXX.

Idem in eodem. Præsenti generali declaramus
edicto , beneficium relaxationis ad cautelam , quo-
ad interdicti sententias , in ciuitates , castra , vel quæ-
libet alia loca , siue terras aliquas generaliter pro-
mulgatas , locum aliquatenus non habere.

XXXI.

Idem in eodem. Quicumque pro eo , quod in
reges , principes , barones , nobiles , balliuos , vel
quoslibet ministros eorum , aut quoscumque alios ,
excommunicationis , suspensionis , seu interdicti
sententia fuerit promulgata , licentiam alicui dede-
rint occidendi , capiendi , seu alias in personis , aut
bonis suis vel suorum grauandi eos qui tales sen-
tentias protulerunt , siue quorum sunt occasione
prolatæ , vel easdem sententias obseruantes , seu ta-
liter excommunicatis communicare nolentes , ni-
si licentiam ipsam re integra reuocauerint , vel si
ad bonorum captionem occasione ipsius licentiae
sit processum , nisi bona ipsa sint infra octo dierum
spatium restituta , aut satisfactio pro ipsis impensa ,
in excommunicationis sententiam incident ipso
facto. Eadem quoque sint sententia innodati om-